

QUÆSTIO I.

An eodem modo interpretari oporteat statuta, sicuti Leges communes solemus interpretari?

1 Cum statuta vim Legis obtineant, utpote ab iis condita, quibus potestas legislativa suffragatur; nullum apud me dubium videtur, quin etiam eodem modo suam interpretationem recipiant, sicuti Leges Communes, juxta quas illas interpretari oportet, per cap. cum dilectus 8. §. quia nobis de Consuetud. & ibi Panormitan. num. 2. l. si servi 2. Cod. de Noxal. Action. Gail. lib. 2. obs. 33. num. 3. Mevius p. 7. decis. 255. num. 1. & 3.

2 Et quamvis nonnulli, quos allegat Clariss. D. Franciscus Josephus Michaël Einhorn, olim meus in Jure Canonico Auditor & Defensor, postea in Universitate Friburgensi insignis Jurium Professor, observat. pract. 1. part. 3. n. 47.

Jus Romanum ad interpretationem statutorum in Germania tam parum conferre, quam libros metaphysicos Aristotelis ad interpretationem S. Scripturæ; attamen egregiè à laudatò Clariss. Doctore (qui sanè pro incremento rei literariæ longiorem vitam promeruisse) perstringuntur: ex quo enim tempore Jus Romanum in Academiis & Dicasteria Germaniæ propagatum est, verosimillimum apparet, Germaniæ statuta tum in docendo, tum in consulendo, tum in judicando suam normam accepisse à Jure Romano; neque aliam in eorum declaratione methodum fuisse observatam, ac quæ in Juris Romani declaratione observari consuevit.

QUÆSTIO II.

Quò sensum verum sit, statutorum interpretationem ita faciendam, ut quàm minimè à Jure Communi recedat?

4 Quando statutum in quacunque materia conditur, illius interpretatio ita est facienda, ut quàm minimè à Jure Communi recedat: nec enim præsumendum est, quòd inferior aliquis Legislator velit à Juris Communis tramite declinare, nisi hoc evidenter exprimat. Gail. d. obs. 33. num. 4. D. Einhorn cit. l. p. 2. num. 33.

Hinc, si alicubi statutum extaret, victum victori ad expensas refundendas obligari, illud solummodo de casu, quòd victus sine probabili causa judicium subiit, intelligendum foret: cum enim de Jure Communi non omnis litigator succumbens, sed is tantum, qui temerè litigavit, in expensas condemnari jubeatur, etiam statutum in eo sensu exaudiendum videtur.

6 Quòd si opineris: statutum hanc interpretatione reddi frustratorium & inutile, dum nil aliud, quàm, quòd Jure Communi jam antea ordinatum erat, operatur.

7 Contra est: quia, ut loquitur Mevius p. 1. decis. 29. num. 5. quoties Juri Communi superadditur statutum, argumento est, quòd statuentes nolint ab isto aliqua ratione discedi, sed firmiter id, quòd providet, consistere.

8 Sed quid de illo statuto, cujus meminit Mevius ad Jus Lubecense tit. 10. art. 6. n. 80. dicendum, quòd provisum est, quòd bona hereditaria alienari sine proximorum futurorum heredum consensu nequeant, ane ita exponendum erit, ut etiam ad oppignorationem, quæ juxta Commune Jus in l. ult. Cod. de Reb. alienis non alienand. species alienationis censetur, extendatur?

9 Negat id Mevius d. l. & cum eo celeberris quidam Doctòr, ex ea consideratione: quia, quòd antea dictum, in statutorum interpretatione quàm minimè à Jure Communi recedendum, accipi debet juxta sensum, qui esset conveniens Juri Communi pro

tempore, ubi statutum necdum supponimus confectum, non verò pro tempore consequenti: at, si statutum, antea memoratum, supponimus necdum confectum, de Jure Communi hæres, tanquam plenissimus rerum hereditariarum Dominus, potest eadem quocunque titulo alienare, atque adeò etiam oppignorare: ergo, ut quàm minimè recedatur à Jure Communi, oportet statutum ita interpretari, quòd, cum oppignorationem in specie non interdixerit, ea, antehac à Jure Communi indulta, etiamnum permissa sit.

Non diffiteor, subtiliter hanc sententiam proponi, sed à me cum dictis in num. 4. componi non posse. Cum enim in statutorum interpretatione non tantum recessus à Jure Communi caveri, sed etiam in sensu Juris Communis ea fieri debeat; non capio, quomòdò per prohibitam in genere alienationem rerum hereditariarum sine consensu proximorum heredum non comprehendatur oppignoratio, quæ in sensu Juris Communis est species alienationis, & prohibita simpliciter alienatione, simul prohibita censetur juxta expressam sanctionem in d. l. ult. Cod. de Reb. alien. non alienand. ibi: sancimus, si ve lex alienationem inhibueris, si ve testator hoc fecerit, si ve pactio contrahentium hoc admiseris, non solum domini alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam ususfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi. Jam verò alienatio, per statutum inhibita, est inhibita per Legem: ergo &c.

Quamvis igitur admittamus, statuta interpretanda secundum illum sensum, quem Jus Commune habuit eò tempore, quòd statutum non extitit: quia tamen Jus Commune non tantum plèno rerum domino dat facultatem alienandi, sed

fed etiam admittit, quòd hæc facultas possit inhiberi Lege, testamento, vel pactione, & casu quo fuerit simpliciter inhibita; oppignorationem quoque inhibitam esse disertè pronuntiat; non aliter salvari, aut recessus ab eo evitari poterit, nisi in sensu Juris Communis explicetur, & alienationis nomine op-

pignoratio contineatur.

Nempe in statutorum interpretatione opus est, ut Jus Commune non solum expendamus in una Lege, sed etiam in altera; ne, dum ubi pède videmur accedere ad Juris observantiam, alterò quàm longissimè ab illo nos recessisse convincamur.



SUPPLEMENTUM AD PROLÓQUIUM LIBRI I. DECRETALIU.

SUMMARI.

1. Diversa fidei acceptio. 2. & 3. Eius definitio, prout accipitur pro credulitate. 4. Alia definitio, prout accipitur pro summa credendorum. 5. & seqq. Largior explicatio. 9. Subjiciuntur credenda de Mysterio SS. Trinitatis. 17. & seqq. Datur regula de externa fidei professione. 19. Præstantia sibi à neo-electis. 20. A provisio de

beneficiis curatis. 21. Aut Canonicatibus. 22. & seqq. Sub obligatione restitutionis fructuum. 25. A promotis ad regimina Monasteriorum. 26. A Rectoribus & Professoribus. 27. Ab Hæreticis reversis. 28. & seqq. Potest fieri per procuratorem, speciali mandato à suo principate instructum.

QUÆSTIO I.

Quid sit Fides Catholica?

1 Fides, quæ teste Cicerone lib. 1. de Offic. est fundamentum justitiæ, veluti dictorum conventorumque constantia & veritas, accipi potest in præfenti dupliciter. I. pro fiducia seu credulitate dicti vel facti, ab alio manifestati; II. pro summa & compendio eorum, quæ nobis credenda incumbunt. In priori acceptio- ne fides definitur ab Apostolo ad Hebræos 11. quòd sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: quam definitionem, licet aliqui dicant impropriam, seu descriptivam & notificativam fidei; quos inter collocandus Fagnanus ad cap. firmiter de Summa Trinitatis. num. 13. eam tamen ex professo defendit S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 1. ac, si in formam Aristotelicæ definitionis illam redigere placeat, ita efferri posse, dicit, quòd fides (quatenus sumitur habitualiter) sit habitus mentis, quò inchoatur vita æternæ in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus. Unde alia litera (verba sunt ejusdem Doctòris Angelici) habet convitiò: quia scilicet per auctoritatem Divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non vident. In posteriori acceptio- ne definitur fides, quòd sit collectio articulo- rum, quos primà & Summa Veritas revelavit, nobisque per Ecclesiam credendos pro- posuit. Ita ad mentem D. Athanasii in suo Symbolo reipsà sentit P. Engel ad cit. tit. de Summa Trinit. num. 6. Potest siquidem, ut dis- currit S. Thomas cit. l. art. 2. objectum fidelis

dupliciter considerari, uno modo ex parte ipsius rei credita, & sic objectum fidei est aliquid incomple- tum, scilicet res ipsa, de qua fides habetur; aliò modo ex parte credentis; & secundum hoc objectum fidei est aliquod complexum per modum unum iabi- lis: est enim modus proprius humani intellectus, ne componendò & dividendò veritatem cognoscat; & ideo ea, quæ sunt secundum se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexio- nem.

Quamobrem hic Doctòrum Angelus cit. l. art. 6. ulterius docet, credibilia per certos articulos distinguere: nam, ut dicit Idorus, articulus est perceptio Divinæ Veritatis, tendens in ipsam: sed perceptio Divinæ Veritatis competit nobis secundum distinctionem quandam: qua enim in DEO unum sunt, in nostro intellectu multiplican- tur: ergo credibilia debent per articulos distinguere. Nomen articuli siquidem ex Græco videtur esse derivatum: arthron enim in Græco, quòd in Latino articulus dicitur, significat quandam coaptationem aliquarum partium distinctarum: & ideo particu- la corporis sibi invicem coaptata dicuntur membra- rum articuli. Unde & credibilia fidei Christianæ dicuntur per articulos distinguere, in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coap- tationem ad invicem. Est autem objectum fidei aliquid non visum cità Divinæ: & ideo, ubi occurrat aliquid speciali ratione non visum, ubi est specialis articulus. Ubi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita, vel non cognita,

ibi non sunt articuli distinguendi. Porro hi articuli continentur in Symbolo fidei, auctoritate Ecclesie confectio: quia enim, ut arguit D. Thomas cit. l. art. 9. Veritas fidei in Sacra Scriptura diffusè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscure, ita quòd ad eliciendum fidei veritatem ex Sacra Scriptura requiritur longum studium & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognosce-

re fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt: idè fuit necessarium, ut ex sententiis Sacra Scriptura aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum Sacra Scriptura, sed potius ex Sacra Scriptura sumptum. Idque factum auctoritate Ecclesie, que non potest errare, quia Spiritu Sancto gubernatur, qui est Spiritus Veritatis.

QUÆSTIO II.

Quid in specie de Mysterio SS. Trinitatis in SS. Canonibus proponatur credendum?

Non est mihi animus, in ea falcem immittere, quæ Theologi solent tractare de DEO Uno & Trino; sed tantum aliqua delibare, quæ in nostris SS. Canonibus de Mysterio SS. Trinitatis credenda proponuntur. Nempe in famoso illo Concilio Lateranensi IV. cui præfedit Maximus ille, nec Virtute tantum, sed & Sapientia plenus Pontifex Innocentius III. cui etiam, teste Eminentiss. Cardinali Vincentio Petra in Comment. ad Constit. Apostol. rom. 2. pag. num. 341. interfuerunt Archi-Episcopi Septuaginta, Episcopi quadringenti & duodecim, ac octingenti & amplius ex Abbatibus aliisque Prælatibus Regularibus; in hoc, inquam, Concilio cap. firmiter 1. declaratum legitur, quòd sit unus DEUS in essentia & substantia sit in Divinis, quam æqualiter & identice participant tres personæ, ob relationis oppositionem realiter distinctæ; Simul in cap. damnamus 2. damnatur error Joachimi Abbatis, Viri cæteroquin pientissimi, & Papæbrochii in actis SS. ad diem 20. Maij testimonio miraculorum & prophetiarum gloria illustris, qui non aliam in Divinis unitatem concesserat, quam in humanis, perperam existimans, eodem modo, quòd Ecclesia vel populus dicitur unus collectivè & similitudinariè, tres personas in una natura convenire; absque eo, quòd damnetur ipse Joachimus, utpote qui scripta & dicta sua iudicio Sedis Apostolicæ subiecit: Damnatur etiam in fin. d. cap. perverissimum dogma impii Almerici, de quo in compendio plura tradit laud. Card. Petra pag. 342. & Fagnanus ad d. cap. damnamus numer. 28. Deinde in eod. cap. damnamus de persona Patris dicitur, quòd ab æterno filium generando suam substantiam ei dedit; de Filio

item dicitur, quòd sine ulla diminutione nascendo substantiam patris accepit; & ita Pater & Filius habent eandem substantiam; & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus Sanctus, ab utroque procedens. Præterea in d. cap. 14. firmiter, cum quo concordat Clem. un. de Summa Trinit. & Fide Cath. de unigenito DEI Filio JESU Christo dicitur, quòd à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, una in duabus naturis persona, vitam vitam manifestius demonstravit: Qui cum secundum Divinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis & passibilis: qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in caelum: sed descendit in anima & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque: venturus in fine sæculi, iudicaturus vivos & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis quam electis: qui omnes cum suis propriis resurgens corporibus, qua nunc gestant, ne recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, isti cum Christo Gloriam sempiternam. Insuper in cap. un. d. in 6. de Spiritu Sancto fatetur Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, quòd æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione, procedit. Reliqua de his & aliis Orthodoxæ fidei articulis partim tanguntur in cis. cap. firmiter 9. una verò est fidelium &c. item in d. cap. un. 9. porro & seqq. de Summa Trinitat. & Fide Cathol. in 6. partim à Theologis ex officio traduntur.

QUÆSTIO III.

Quandònam ex Jure Divino Fidem exterius profiteri teneamur?

Respondet D. Thomas d. 2. 2. quæst. 3. art. 1. quòd finis fidei sicut & aliarum virtutum referri debet ad finem charitatis, qui est amor DEI & proximi: & idè, quando honor DEI vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ne per fidem suam ipsi veritati Divina conjungatur, sed debet fidem exterius confiteri. Nempe confessio fidei est præceptum affir-

mativum, obligans semper, sed non ad semper, nec in omni tempore & loco, sed in aliquo, quando, ut dictum, exigit honor DEI & salus proximi; puta si aliquis interrogatus de Fide iuraret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide; sicut exemplificat cit. S. Doctor,

QUE



QUÆSTIO IV.

Quandònam ex Jure Ecclesiastico fidei professio sit emittenda?

EX Jure Ecclesiastico externa fidei professio emittenda est I. à Neo-Electis seu assumptis Episcopis juxta cap. qui Episcopus 2. Dist. 23. cap. optatum 4. Dist. 100. Concil. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 1. ubi quoque statuitur, ut eadem professio, ab Episcopis emissa, ad Sedem Apostolicam in publica & authentica forma transmittatur; quin etiam ut juxta sess. 25. de Ref. cap. 2. §. idèque impostum in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, idipsum faciant. II. Ab omnibus provisis de beneficiis curatis, qui intra duos menses in manibus Episcopi, vel, eò impedito, coram Vicario Generali fidem profiteri tenentur per cit. Concil. sess. 24. de Ref. cap. 12. tamen ab uno beneficio curato, cujus intuitu jam semel fidei professionem deposuerunt, ad aliud promoveantur. Barbosa de Off. & pot. Ep. p. 3. alleg. 61. num. 9. Tamburin. de Jure Abb. tom. 1. disp. 8. q. 3. num. 8. III. Ab omnibus provisis de Canonatibus & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, qui non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur: alioquin tam isti quàm prædicti omnes fructus non faciunt suos, nec illis professio suffragatur, ut loquitur idem Concil. d. sess. 24. cap. 12. Cùmque hæc constitutio non pœnalis, sed conditionata sit, quòd nempe hujusmodi provisi non aliter fructus lucrarent, quàm si professionem fidei emisissent, communior sententia omittentes professionem ad restitutionem fructuum, nullò titulo perceptorum (quorum tamen nomine haud intelliguntur distributiones quotidianæ) obligat ante omnem iudicis sententiam. Barbosa de Off. & pot. Ep. alleg. 61. num. 28. P. König ad tit. de Summa Trinit. n. 10. Clariss. P. Schmalzgræber ibid. num. 10. Clariss. P. Benedictus Schmier ad eund. tit. num. 19. Clariss. P. Placidus Böck ibid. num. 7. & 2. seqq. Dissentiunt P. Westner ad d. tit. n. 48. Reiffenstuel ibid. num. 196. aliique apud Barbosa d. num. 28. Neque excusat in foro externo ignorantia Juris hujus, utpote quæ non proficit, compendium aliquod querentibus juxta l. 7. 8. & 9. ff. de Jur. & facti ignorant. D. Philippus Braun ad d. l. pag. m. 11. quamvis pro foro interno aliud statuat Barbosa d. l. num. 29. Neque etiam quoad fructuum perceptionem, saltem post duos primos menses, excusat possessio triennalis, aut præscriptio, inde deducta: cùm ipsa professio aperte improbetur. Barbosa d. l. n. 26. licet suffragetur quoad alia jura parochialia

vel capitularia. Barbosa num. 27. pro utroque casu afferens Declarationem Cardinalium. IV. A promotis ad Monasteria, Conventus, Domos, & alia quæcunque loca Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militarium juxta constitutionem Pii IV. quæ incipit injunctum nobis, editam Idibus Novembr. 1564. V. A Rectoribus, Cancellariis, Professoribus & Magistris quorumcunque Facultatum, etiam Artium liberalium in Universitatibus & Gymnasiis publicis, sive Clerici, Sæculares aut Regulares, sive Laici fuerint; utri & à promovendis eujuslibet statûs & conditionis ad Gradus quoslibet literarios, per constitutionem ejusdem Pii IV. quæ incipit: in sacrosancta &c. d. die & anno promulgatam. VI. Ab hæreticis, ad sinum S. Matris Ecclesie Catholice reversis, prout jam dudum insinuavit Lucius III. in cap. ad abolendam 9. de Hæreticis. De aliis videri potest novissimum Concilium Romanum, sub moderno Pontifice SS. D. N. Benedicto XIII. anno 1725. congregatum, tit. 1. cap. 1. Possitne hæc fidei professio deponi per procuratorem? Controvertitur; affirmativa tamen contra Ugolinum, Garciam, Stephanum Gratianum, & alios docetur à Barbosa d. allegat. 61. num. 20. Tamburino de Jure Abb. disp. 3. quæst. 3. num. 11. Wiestner ad tit. de Summa Trinit. num. 55. Reiffenstuel ibid. num. 182. Siquidem fidei professio non est actus ad eò personalis, ut ministerium procuratoris, alioquin in omnibus negotiis per cap. quod quis 68. de R. J. in 6. regulariter concessum, respuat: cùm etiam juramenti præstatio, uti & celebratio matrimonii, per procuratorem, speciali mandato instructum, legitime possit fieri per cap. tibi Dominus 33. Dist. 63. cap. ult. de Juram. Calum. cap. ult. de Procurat. in 6. ipsaque fidei professio hòc modo permitti videatur in cap. optatum 4. Distinct. 100. Non attentò, quòd formula juramenti, à Neo-electis Episcopis in manus S. Pontificis præstandi, sub terminis, personalem præsentiam & locutionem importantibus, efferatur in cap. ego 4. de Jurejur. quippe cùm procurator, qui personam sui principalis repræsentat, hanc ipsam formulam citra absurdum pronuntiare valeat; quidquid in contrarium afferatur de S. Congregationis Cardinalium declaratione, aut Rotæ decisione, cui aliam & oppositam adducit Barbosa d. n. 20.



C

SUP.